

Q. D. B. V.
INITIA
DOCTRINAE
EVANGELICAE
PER LUSATIAM
SUPERIOREM
SPARSAE

IN
ACTU ORATORIO-
DRAMATICO

DIE XXIV. FEBRUAR. ANNI M DCC XXI.
POST PERACTAM A DOMINO SALUTEM,
QUO

ZITTAVIA ANTE CC. ANNOS
LUCEM EVANGELII

ASPICERE COEPIT,
NONNULLI JUVENES
HORA TERTIA POMERIDIANA
EX GRATO IN DEUM
ANIMO REPETENT,

HIS UT
MAGNIFICI CURIAE PROCERES,
OMNESQUE REI LITERARIAE
PATRONI, FAUTORES ATQUE
AMICI BENEVOLAS PRAEBERE
AURES DIGNENTUR,
PRECIBUS SUMMIS

INVITAT
M. Adam Erdmann MIRUS,
GYMN. CON-RECT.

ZITTAVIAE,
LITERIS MICHAELIS HARTMANNI.

Hist. Saxon.

F.

98,2

H. Pat. Prov. 9. 254. Pap.

18



In suspiraverat Lusatia superior sub jugo Pontificio. Nihil nisi inanis ceremoniarum strepitus templa DEI immortalis implebant. Quaeque ad commendationem non solum indulgentiarum jejuniorum & aquae lustralis; verum etiam ad sanctorum intercessionem, imaginum cultum aliaque sexcenta pertinebant, severa voce inculcabantur. De fide, charitate & spe altum in templis erat silentium. Sed ex quo anno supra millesimum quingentesimum decimo septimo Vitembergae Saxonum fido Divi Lutheri ministerio liquidior lux Evangelii orta, radios suos spargere coepit; omnes veluti terrae colla sua erigere, & post longam caliginem oculos ad orientem lucem convertere cupiverunt. Lusatiae quidem non illa contigit felicitas, ut eo statim tempore, quo megalander Lutherus coelestem doctrinam a fordibus Pontificiis purgaverat, incolis suis illam religionis integritatem reddere posset. Ardua enim res periculique plenissima videbatur, in tanta temporis injuria sacra Romanensium vel erroris alicujus incusare, vel omnino rejicere. Indignantes, quin imo frendentes experiebantur hostes, qui vel nominis Evangelici faciebant mentionem, vel ex illo dulcedine quadam se capi fatebantur. Cumque suspirantes incolae omnia magis, quam moram longiorem doctrinae coelestis ferrent; divina factum providentia est, ut anno seculi primo & vigesimo desiderii participes redderentur. Zittaviae quidem in agro Hexapolitano prima religionis receptae gloria debetur. Haec enim anno reparatae per Dominum salutis eodem, indulgentia Magistratus usa, post longam expectationem non dubitavit, M. Laurentium Heidenreichium Evangelicae veritatis praeconem vocare, quem quondam in templo D. Crucis sacerdotem Romanensem viderat; & post repurgationem Ecclesiae Lipsiam miserat, ut saluberrima illa doctrina imbueretur. Res eo feliciter viro summo successit; quo difficiliora habuerat initia. Etsi enim hostes veritatis coelestis omnibus reluctabantur viribus; eo magis tamen tenebrae Pontificiae luci crescenti cedere cogebantur; quo magis radii illius in dies singulos se multiplicabant. Tantum etiam abest, ut pestifera lues, quae eo anno magnum civium numerum abripuerat, religioni accrescenti obicem posuisset, ut potius cursum illius quam maxime promovisse videretur. Cumque non diu post Monachi variis fraudibus atque flagitiis exosos se civibus reddidissent, nec Moniales melioris notae invenirentur: factum est; ut civitate omnino expellerentur. Coelestini petram Oywinensem tenentes omnia in dies singulos arctiora cum sibi fieri viderent; tutum locum sibi amplius promittere non potuerunt, sed alia exilii loca quaesiverunt. Exemplum Zittanorum secutae sunt reliquae civitates, tantaque cupiditate purgatam a Luthero religionem arripuerunt; ut vel pauci, vel omnino nulli invenirentur, qui sive cum Missis Romanae Ecclesiae quid commercii habere, vel simulata Monachorum fraude decipi vellent. Nec parum Ferdinandus I. tunc temporis Bohemiae Rex religionis cursum suo patrocinio juvit. Sicut enim princeps fuit mitissimi ingenii: sic conscientias hominum imperare noluit. Quae causa est, cur neminem ob assumptam Evangelii doctrinam vel turbaret, vel omnino gratia sua indignum judicaret. Nunquam etiam commisit, ut Evangelici nominis hostes abjurati quempiam Lutheranorum injuria aliqua afficerent. Zittaviam in vera religione introducenda secuti sunt Gorlicenses anno supra millesimum sexcentimum secundo & vigesimo, vocato hanc in rem M. Christophoro Ruperto Abenobarbo, sacrorum Evangelicorum antistite. Cum fidelis Dei praeco totus in eo esset, ut anxio animo religionis primordia incolis instillaret, multumque jam docendo admonendoque profecisset; factum est adversariorum invidia & malevolentia, ut, relicta functione, in exilium abire cogeretur. Revocatus inde anno seculi vigesimo quinto, jubente Magistratu, conventum sacerdotum egit, tantumque in eo profecit, ut confestim ex omnibus templis ditionis Gorlicensis sacra Romanensium proscriberentur, Evangelica doctrina introduceretur. Ab eo tempore constantissimo cursu religio vera propagata est in hunc usque diem, Deoque jubente, propagatur. Secuta est Lauba, quae dudum nihil magis in votis habuerat, quam ut lucem verbi divini in suis moenibus haberet. Abbatissa quidem, veritatis divinae impatiens, omnibus reluctata viribus est, haud ignara, actum esse de traditionibus Romanensium, si civibus ex limpidiis verbi divini fontibus sanam doctrinam haurire liceret. Impedire tamen non potuit, quo minus Curiae Patres vocarent Evangelicae doctrinae praeconem

nem primum Georgium Heu, patria Gorlicensem. Diceres, virum hunc verae religionis defensorem acerrimum certamen inivisse cum Hydra, cujus renascentia capita reluctantem quotidie ad novum certamen provocarent. Cum vero vir indefessus, nihil neque fidei, neque industriae in se desiderari pateretur; sed crassos Romanensium errores ex verbo divino ostenderet: factum est, ut brevi umbra veritati cederet, & doctrina coelestis mirum in modum se multiplicaret. Serius quodammodo Budissa, provinciae caput, Evangelicae religionis primordia intueri coepit. Non quidem, ut voluit; sed ut iniquus temporum cursus permisit. Quo magis enim jugum Romanae Ecclesiae abjicere voluit; eo magis infelicia colla ipsi subdere coacta est, donec anno currentis seculi septimo & vigesimo spatium liberius nata, Paulum Coselium primum verbi divini praeconem avidis audiret auribus. Indigne rem Decanus patresque Capitulares tulerunt, omnemque; adhibuerunt industriam, ut civium animos ad sua retrahere castra, pristinisque errorum laqueis involvere possent. Cum vero inanis promissis parum profecisse se intelligerent; in rem visum est Decano & patribus Capitularibus, Evangelicae professionis doctores in arenam disputatoriam provocare. Disputatum est in Coenobio, Capitaneo & Curiae Proceribus praesentibus, & quaestio ventilata: Utrum Missa Pontificia sacrificium dici possit. Sed tam infelici Pontificiorum exitu, ut miser monachus ad silentium redactus, summo cum ludibrio discedere cogeretur. Non tamen indignantes Ecclesiae Romanae Doctores cessarunt, crescentem Evangelicorum turbam variis insidiis ac fraudibus circumvenire, donec anno seculi trigesimo tertio res Evangelicorum in meliorem statum adducerentur. Docendi munus demandatum erat Johanni Cellario, viro in salute Ecclesiae augenda ut indefesso, sic immortaliter merito. Deo duce, omnia habuit prospera, quae olim frustra fuerant suscepta. Justo serius Camentium & Loebavia ad claram Evangelii lucem suos oculos converterunt. Etsi enim D. Leuberus in descriptione arcis Ortenburgensis persuadere nobis cupit, Camentenses & Loebavenses Laubansium exemplum secutos esse, pontificiam doctrinam circa eadem tempora (1525) vel neglexisse, vel abjecisse, & Augustanae Confessionis articulos publice amplexos esse; attamen nullo antiquitatis monumento manitus, facile ab aliis deseritur. Ipsa temporis ratio cum calculo ejus pugnare videtur. Augustana enim Confessio ab Illustrissimis Imperii Ordinibus Carolo V. Augustae Vindelicorum anno seculi 30. est exhibita. Quo vero jure quinque annis ante Camentenses & Loebavenses doctrinam Aug. Conf. dicuntur recepisse? Certe, si Annalium fidem sequimur, Camentenses tenebris Pontificiis involuti ac veluti circumvallati fuerunt usque ad annum reparatae salutis 1527. In hoc Johannes Ludwig magno cum applausu verbi divini veritatem docere coepit. Sed hostes Evangelici nominis tot tantasque difficultates civibus objecerunt, ut infelices ante annum trigessimum quintum vix sibi exoptata religionis incrementa promittere possent. Ultima Loebavia fuit in recipienda religionis integritate. Utrum haec ante annum quinquagesimum e tenebris Pontificiis emerferit; eo magis dubitandum, quo altius in Annalibus silentium est. Nec ante illud tempus Nicolaus de Glaubitz, primus verbi divini praeco Loebaviae docuisse dicitur. Quam religionem a sordibus Romanis purgatam ante ducentos annos Zittavia accepit; eam divina clementia in hunc usque diem servavit. Nostrum igitur est, animo devoto devotas ipsi persolvere gratias, simulque humillimis contendere precibus, velit nobis nostrisque posteris divinum hoc beneficium constans ac perpetuum servare. Haec quoque summa pietatis nostrae fuerit, quam nonnulli Juvenes in hoc Dramate DEO aeterno testari cupiunt.

Ordo ex sequentibus verbis conspicitur. Initium faciet haec Oda:

So wird nach der finstern Nacht
 Zittau zu den Licht gebracht.
 Sie stellt alle Sorgen ein
 Bey des Wortes hellen Schein.
 Jesus bleibt die Zuversicht/
 Alles ist auff ihn gericht/
 Er verlässt niemals nicht.
 2. Schien es vor der Welt zu viel/
 Uns zu mengen in das Spiel/
 Das viel tausend hat gestürzt/
 Und die Lebenszeit verkürzt.
 Ey/ so nahm uns Jesus an/
 Der die Feinde stürzen kan/
 Und führt zu der Lebensbahn.

3. Dieser zeigte seine Macht
 Ehe wir das Heyl bedacht;
 Finsterniß verließ das Land/
 Und sein Wort nahm überhand/
 Das das Hertz mit Andacht rührt/
 Das mit schönen Gaben ziirt/
 Und zum rechten Leben führt.
 4. Er giebt noch dem Worte Krafft/
 Das es Frucht und Nutzen schafft.
 Glaub und Liebe kommen an/
 Wie das Hertz wünschen kan.
 Jesus ist der Gnaden-Schein/
 Aller Seegen stelle sich ein/
 Weil wir ihm ergeben seyn.

Post

Post Prologum apparent quatuor adolescentes, & Colloquium habent de divina in nos providentia.

Conspectus I.

Sistit sex virgines, quae sex civitates agri Hexapolitani referunt. Omnes desiderant lucem doctrinae Evangelicae intueri. Accedit Religio, divinumque auxilium expectare jubet. Has virgines excipiunt duo Politici, opus Reformationis justo difficilius in Lusatia sibi proponentes.

Conspectus II.

Habet Religionem, quae Zittaviae doctrinam Evangelicam commendat. Accedunt quinque sorores, ipsi de tanta felicitate gratulaturae. Occupant Theatrum duo Politici, & admirantur divinam providentiam, in opere reformationis civitati exhibitam.

Conspectus III.

Offert Religionem & Gorlicium. His se associant quatuor reliquae sorores, ipsique de recepta Evangelii doctrina gratulantur. Deinde duo Politici conspiciuntur, & de religionis mutatione colloquium habent.

Conspectus IV.

Exponit Laubam a Religione ad veritatem religionis adductam. Accedunt tres sorores, in tenebris Pontificiis adhuc suspirantes, ipsique partim gratulantur, partim eandem sibi felicitatem exoptant.

Conspectus V.

Monstrat Budissam Religione stipatam. Duae reliquae sorores ipsi gratulantur. Postmodum occupant Theatrum duo Politici, divinamque clementiam in opere reformationis dirigendo laeta admirantur mente.

Conspectus VI.

Adducit Camentium cum Religione. Loebavia Camentio gratulatur de recepta Evangelii doctrina. Duo Politici penitus inquirunt in reformationis felicem successum.

Conspectus VII.

Profert Loebaviam, quae Religionem habet comitem. Haec illi gratulatur de recepta Evangelii doctrina. Duo Politici venerantur divinam sapientiam pariter ac bonitatem in veritate Evangelicae doctrinae introducenda.

Conspectus VIII.

Omnes sex civitates stipatae Religione, iussa ab hac magistra recipiunt, & sibi invicem de felicitate impetrata gratulantur.

Conspiciuntur iterum quatuor Adolescentes, divinam bonitatem in opere reformationis exhibitam celebraturi, quos sequitur Epilogus.

Chorus Musicus claudit hac Oda:

Thau/ Zittau/ deine Gnaden-Zeit/
Die dir ochr Schöpffer gönnet.
Du hast zwey hundert Jahr bereit
Des H-Errn Wort genennet.
Es ist noch reichlich unter dir/
Und trägt solche Regal für/
Die deine Wohlfahrt mehren.
2. Erkenne seine Vater-Treu/
Die hat ja nie kein Ende.
Er macht sie alle Morgen neu/
Und segnet alle Stände.
Ist einer in der Bangigkeit/
Sie baut die Hoffnung auf die Zeit/
Die neuen Frieden bringet.

3. Der Satan würet Tag und Nacht/
Des Wortes Krafft zu dämpffen.
Mit unsern Thun wird nichts gemacht/
Gott muß alleine kämpffen.
Es kan ihm niemand wiederstehn/
Die Feinde müssen von uns gehn/
Wenn er die Seinen schützet.
4. O Gott! laß Kirch und Rathhaus stehn/
Um deines Nahmens willen.
Führ diese Stadt auf Woblergehn/
Du kanst es leicht erfüllen.
Erhalt im Lande Sicherheit/
Bis wir nach dieser Sterblichkeit/
Dich ewig preisen werden.

Personae agentes sunt:

Johannes Christianus Ehrlich, Gersd. Luf.
Johannes Gottfried Hänischel, Z. L.
Johannes Gottfried Knochenhauer, Dresd. Misn.
Johannes Friedrich Koch, Z. L.
Gottlieb Adler, Z. L.
Christianus Gottlieb Thalmeyer, Z. L.
Christianus Gottlieb Randig, Ebersbach Luf.
Johannes Alexander Christ, Lips. Misn.
Johannes Wolff, Z. L.
Jacobus Friedrich Knebel, Z. L.
Christian Gottlob Schletter, Diettersbach Luf.
Johannes Christianus Rodochs, Z. L.
Johannes Augustus Schubart, Marckersd. Luf.
Carolus Augustus Rodochs, Z. L.
Johannes Conradus Meyer, Z. L.

Christianus Gottlieb Mönch, Z. L.
Johannes Gottlob Albrecht, Großschön. L.
Christianus Gottlob Räthelt, Z. L.
Gottlob Siegfried Wohlfram, Z. L.
Johannes Christianus Horning, Pilgramsd. Sil.
Johannes Christianus Zöllner, Z. L.

His accedunt:

Johannes Augustus Junge, Z. L.
Johannes Christianus Rönisch, Seyersd. Luf.
Carolus Friedrich Neumann, Z. L.
Johannes Elias Fritsche, Z. L.
Samuel Gottlob Behle, Z. L.
Johannes Christianus Hennig, Z. L.
Johannes Gottlieb Neumann, Z. L.
Christianus Ehrenfried Gampe, Z. L.

Huic exercitio dies crastinus, ejusque hora tertia pomeridiana erit destinata. Ut vero solenni huic actui splendor aliquis accedat; omnes DNN. PATRONOS, FAUTORES & AMICOS precibus humillimis invitamus, ad omnia humanitatis officia paratissimi.

P. P. Dom. Esto mihi, M DCC XXI.